

nihilo produxit. Hanc veritatem, quam nullus græcorum philosophorum pure agnovit, revelationis beneficio debemus. * Falsæ ergo sunt hypotheses *de æterno chao* a DEO independente atque formæ omnis experte, nec non de *Spinozismo* ac *Emanatismo*.

* Creatio mysterium est rationem transcendens: a logico eius conceptu longe absit cogitatio materiæ *ex qua*, et temporis *in quo*, atque similia.

XIV. Moses testis authenticus orbis primum tenebricosi et aquis obducti genesis per sex dierum periodos describit: nec est, cur successiva hæc rerum evolutio quempiam offendant. In illorum vero sententiam concedere non possumus, qui totam hexæmeri narrationem magis rhetorice pulcram, quam historice veram aut philosophice possibilem esse arbitrantur.

XV. Præstantissimum creationis opus ANGELI existunt, natura Spiritus, officio Ministri, gratia sanctificante aliisque insignibus donis ornati.

XVI. Partem eorum propria culpa in veritate non stetit, sed cælo extorrem in iudicium